



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quas aduersus Christianos leges tulerit. Cap. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODOR. HISTOR.

dimidiam summam ei condonare, iubereque reliquam dissoluere. Ille suspensus in sublimi, & stylis confossus, a vespis & apibus ambesus, non modo nullam dedit doloris significationem, verum etiam impios lepide irrisit, dixitque eos abiectos esse, & humi reperere, se autem erectum & in sublimi positum. Ad extremum illi exiguam pecuniae portionem petere. Quibus ille, perinde impium esse obolum in impium opus impendere, atque summam pecuniae vniuersam. Proinde sic tandem euiti, eum dimittunt, cum eius admirati fortitudinem & constantiam, tum mutata sententia, ad rationem vitae penitus contrariam traducti: siquidem ex eius ore veram pietatem postea didicerunt.

Quas aduersus Christianos leges tulert.

CAP. VII.

Alia praeterea infinita maleficia, illo tempore, terra marique ab impiis contra pios fuere commissa. Etenim deo infestus tyrannus Iulianus de reliquo leges aduersus verum dei cultum aperte promulgare cepit. Ac primum vetuit, ne Galilaei (sic enim fidei seruatoris nostri consecratos nuncupabat) poeticam, rhetoricam, aut philosophiam discerent. Nam nostris ipsorum, inquit, pennis, ut est in prouerbio, percellimur: siquidem nostrorum scriptorum praesidiis muniti, contra nos bellum suscipiunt. Postea etiam aliam tulit legem, qua mandauit, ut omnes Galilaei, id est Christiani, e militia pellerentur.

De sancti Athanasii relegatione & fuga.

CAP. VIII.

PER idem tempus Athanasius, athleta veritatis in omnium certaminum genere exercitatus, in aliud rursus discrimen adducitur. Nam daemones eius, tum in concionando, tum in praecando, vim non ferentes, suos ministros ad eum conuiciis lacerandum armant. Qui ut alias multas voces, dum ab impietatis patrono contendebant, ut Athanasium in exilium eicerent, sic hanc apposuerunt, si Athanasius Alexandriae maneat, neminem gentilem mansurum. Eum enim omnes ad suum caeterum suauiter adducturum. Cui postulationi assensus